

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition de l'oeuvre poétique de Nathan Chytraeus parue à Rostock en 1579, chez Stephanus Myliander.

I

NATHANIS CHYTRAEI ELEGIARUM LIBER PRIMUS. (912 vers)

ELEGIA PRIMA.

ITER FACIENTIBUS ADMONITIONES NECESSARIAS CONTINENS.
IN GRATIAM NOBILISS. JUVENIS JOANNIS HOBENII.

E1_1 v.1 A patriis quicumque procul discedere terris
2 et varias mundi vis peragrare plagas,
3 non nimium propera, cauto sed singula corde,
4 et quid agas, sapiens ut facit, ante vide.
5 Inprimis varios casus, et mille pericla,
6 et propone animo multa ferenda tuo.
7 Aestus saepe tibi, tibi frigora saepe nocebunt,
8 jam nix dura tibi, jam gravis imber erit.
9 Non etiam lauta semper tractabere mensa,
10 molliculus semper nec tibi lectus erit.
11 Stramine vel scamno, vel humi persaepe cubabis,
12 saepe tibi sitis est, saepe ferenda fames.
13 Et licet his careas, animo tamen omnia volvens,
14 non ita tranquillo pectore semper eris.
15 Nox metuet fures, saevos lux orta latrones,
16 hoste tibi duro durior hospes erit.
17 Hos quicumque nequis, similes et ferre labores,
18 aut tibi si risus deliciaeque placent :
19 te juvet in medias somno turgescere lucas,
20 semper et ad patrii tecta sedere foci.
21 Ingredientur iter fortes, aptique labori,
22 abstineant molles desideantque domi.
23 Hac si parte vales, tibi quae meditanda deinceps,
24 ceteraque ut recte sint peragenda rogas ?
25 Si cum laude cupis coeptos finire labores,
26 ante peregrinis disce notanda locis.

27 Ne similis dicare grui, trans aequora vectae,
28 quae fugit insipiens insipiensque redit.
29 Neu tantum lapides videas, aedesque superbas,
30 haec etiam stolidum cernere vulgus amat.
31 Sed mores animosque hominum, positusque locorum,
32 priscaque factorum, signa notasque vide :
33 egregiosque viros tibi conciliare labora,
34 qui tibi quam lapides commoda plura ferent.
35 Hinc usus rerum, vera et prudentia crescit,
36 hinc placidi mores ingeniumque venit.
37 Haec tibi cum cauto sunt praemeditata labore,
38 ut tibi sit nummis plena crumena vide.
39 Deficit ignotis cui certa pecunia terris,
40 non facile is coeptum continuabit iter.
41 Non tamen hanc semper te circumferre jubebo,
42 hic tibi chirographi tutior usus erit.
43 Et mercatores illa te parte juvabunt,
44 in variis quorum nomina nota locis.
45 Hac quoque prospectum fuerit cum parte, tabellam
46 fac habeas, orbis quae loca picta notet.
47 Ista viatoris dux est oculusque sine illa
48 caecus in ignota progredietur humo.
49 Hinc etiam comitemque viae sociumque laborum
50 elige, saepe uni non bene cessit iter.
51 Sit tamen is talis certo cui fidere possis,
52 cujus tu mores noveris ; ille tuos.
53 Condicione pari tecum qui denique vivat,
54 atque eadem, quae tu, qui studiosus amet.
55 Hunc ubi nactus eris, patriasque reliqueris urbes
56 impiger, aeterno cetera crede Deo.
57 Inprimis lux orta nigras cum vicerit umbras,
58 commenda domino teque viasque tuas.
59 Ut tibi sit custos cunctis sacer angelus horis,
60 castraque te circum non violanda locet.
61 Utilis et quoniam cuique est aurora labori.
62 Cur nequeat longis utilis esse viis ?
63 Ergo tuas cum sole vias, prima incipe luce,
64 et cane sidereo carmina grata Deo.
65 Ut prius ad summum quam sol pervenerit axem,
66 maxima sit coeptae pars superata viae.
67 Nec tibi sit noctu proficisci insana cupido,
68 lucis opus labor est, noctis amica quies.
69 Ante igitur quam Phoebus equis juga fumida solvat,
70 hospitii certas ingrediare domos.
71 Saepe aliquis noctis misere tractatus in umbris,
72 non potuit nitidum mane videre diem.
73 Hospitium ingrediens calidus motu atque labore,
74 ut libet haud subito pocula plena pete.
75 Ne fervente mero ferventi in corpore febres
76 accendas, paulum est haec remoranda sitis.
77 Gallorum in primis Italas vel iturus ad urbes,
78 sobrius et cauto noveris ire gradu.
79 Fortia vina nocent, Baccum tibi nympha calentem
80 mitiget, et calidum diluat unda merum.
81 Cogaris Alpinas quod si transmittere cautos,
82 proderit hibernas antevenire nives.
83 Nam cum saevit hiems, magnis nix lapsa ruinis
84 perstrepat, et solitas obstruit alta vias.

85 Saepe etiam rigidas, ventis perflantibus Alpes,
86 montibus e summis nix glomerata ruit,
87 horrendo strepitu, et tam vastae turbine molis,
88 ut procul e caelo fulmina missa putes.
89 Tunc veluti de monte alius se praecipitet mons
90 nix ruit, et secum praevia cuncta rapit.
91 Hei mihi, quam multi vitam his linquere sub oris,
92 Hannibal haud solus, qui tulit ista, fuit.
93 Frigus ibi tantum, silicem quod findere possit,
94 quo multi subito diriguere gelu,
95 quorum vere novo, vel prima aestate, reperta
96 corpora sunt, liquida semisepulta nive.
97 Non ignota cano, simili me paene ruina
98 perdidit in solis nix violenta locis,
99 quod nunc angelico liber tibi munere dico.
100 Exemplo ut possis cautior esse meo.
101 Rectius omnino non se objectare periculo,
102 rectius omnino est funera nolle sequi.
103 Si tamen officii aut sortis ratione necesse est
104 carpere tam durae condicionis iter :
105 non nisi clara dies niteat, ventique silescent,
106 nec nisi cum fido per juga scande duce.
107 Scande etiam tacitus, quando sonus impulit auras,
108 hic tibi vox multum parva nocere potest.
109 Pendentes saepe illa procul de vertice rupis
110 concitat, avulsas praecipitatque nives.
111 Quin volucris moto quandoque levissima ramo,
112 exitio indigenis hospitibusque fuit :
113 haec tibi ventosas si sit labor ire per Alpes
114 diximus, ad reliquum jam redeamus iter.
115 Non cuivis homini qui sis, aperire necesse est,
116 quoque abeas, coeptae quae tibi causa viae.
117 Crede parum : non sperne alios, non decipe quemquam,
118 ni sit opus verbis cautus ubique tace.
119 Plurima damna creat patulo sibi garrulus ore,
120 quae poterat clausis praeteriisse labris.
121 Non etiam rixas aut saevas incipe pugnans,
122 si cupis ex illis vivus abire locis.
123 Ut regio sic est animus ferventior illis,
124 vindictam vitae praeferet illa suae.
125 Cede igitur potius, cedendo ut vincere laus est
126 maxima, sic illis est quoque rara locis.
127 Quae poteris lauda, contraria carpere noli,
128 sic placidus verbis, pectore cautus eris.
129 Cum doctis versare libens, et plurima disces
130 olim etiam canis grata futura tuis.
131 Hi tibi jura loci, mores, ritusque sacrorum,
132 hi poterunt patriae facta referre suae.
133 Illos dum reliqui strepitu et clamore lacessunt,
134 inque scholae cathedris saepe silere jubent :
135 tu velut ex animo caros venerare parentes,
136 eloquio quorum cultior esse potes.
137 Cautus in hospitibus in primis esse memento,
138 hic quoque sub blando melle venena latent.
139 Hic genus Autolycci regnat, bonus exulat omnis,
140 tu serva loculos hic et ubique tuos.
141 Nec nummos numerato aliis spectantibus, unum hoc,
142 hei mihi, quam multis exitiale fuit !

143 Plura his Fabricius docto te praemonet ore,
 144 inspector quorum sedulus ille fuit.
 145 Me satis haec brevibus pingui monuisse Minerva
 146 fortunae et curae cetera linquo tuae.

D. HENRICO HUSANO. V. CL.
 ELEGIA II.

E1_2 v.1 Sicubi dulcisonum philomelae carmen acanthis
 2 audiit, ingenuo victa pudore silet,
 3 et cunctata diu tenuem vix edere vocem
 4 sustinet, et cantu displicet ipsa sibi :
 5 non aliter, vir magne, meas cum venit ad aures
 6 littera carminibus tum comitata tuis.
 7 Obstupui fateor, puduitque quod anser olorem
 8 ausus eram nugis sollicitare meis.
 9 Tam gravitas sapienter inest, tam splendida rerum
 10 copia, verborum lumina tanta micant.
 11 Vix quoque respondere tibi mihi posse videbar,
 12 ingenii censor candidus ipse mei.
 13 Ut tamen hoc faciam, tua me propensa voluntas
 14 et bonitas animi carmine nota jubent.
 15 Omne quibus studium placido mihi pectore defers,
 16 et modo quid cupiam significare jubes.
 17 Rectius ergo mihi visum est parere monenti,
 18 quam timidum rebus sponte nocere meis.
 19 Quattuor autumnos jam Pleias orta reduxit
 20 Sirius et patulos quartus adussit agros.
 21 Quando ego Varniadum roseis digressus ab undis
 22 doctiloquae liqui pulpita sacra scholae,
 23 interea Belgas, Morinos, pictosque Britannos,
 24 et vidi populos Gallia culta tuos.
 25 Interea niveas etiam superavimus Alpes,
 26 et Capitolini templa vetusta Jovis.
 27 Quid jam Parthenopen, rigidi quid flumina Lambri,
 28 quid Rheni celebres Eridanique scholas,
 29 cetera quid repetam ? Solitae jam redditus urbi,
 30 sedulus officio fungor ut ante meo.
 31 Sed quia facundum crudelia fata Bocерum
 32 intempestiva praeripuere manu ;
 33 defunctique loco novus est successor habendus :
 34 consensu unanimi me schola tota vocat.
 35 Non equidem renuo, nec plane assentior illi,
 36 non mea Castaliis labra rigantur aquis.
 37 Sustinui tamen officium partesque Boceri,
 38 et quae Gymnasio legerat ille, lego.
 39 Mercedes tamen annales, quas ille laboris
 40 percepit quondam praemia certa sui,
 41 nondum percipio, nec eas peto, doctior alter
 42 huic forte officio si magis aptus erit.
 43 Illi ego cedo libens, illi submittere fasces
 44 cogito, et absentem jam reverenter amo.
 45 Quod si non dabitur, partesque ego ferre Boceri
 46 debeo, mercedem quis mihi jure neget ?
 47 Judicium tamen omne duci vobisque relinquo,
 48 ne mihi displiceant quae placuere scholae.
 49 Si licet, et patitur moles operosa laborum,

50 obrueris totos qua sine fine dies,
 51 mite patrociniū justae, ut puto, suscipe causae,
 52 et placidum flectas in mea vota Ducem.
 53 Iudicio limaēque tuae si nostra probantur,
 54 non ea principibus non placitura reor.
 55 Ast ego qua potero rursum pietate fideque
 56 ex animo semper teque tuosque colam.

D. ANDREAE MYLIO. V. CL.
ELEGIA III.

E1_3 v.1 Impiger Alcides aeterno foedere Musas
 2 dicitur hoc pacto conciliasse sibi :
 3 ut quoniam Musae imbelles, defendere sese
 4 viribus haud possent praesidiisque suis :
 5 ipse prior Misis sancto promitteret ore
 6 tutelam, et dextrae vindicis auxilium.
 7 Pierides contra, Heroum quia facta laterent,
 8 si sileant Clariae plectra sonora lyrae ;
 9 Herculeos canerent aeterna voce labores,
 10 et facerent tanto nomen in orbe viro.
 11 Clare Myli, decus Aonii tutelaque fontis,
 12 et simul Herulei maxima cura Ducis,
 13 cum velut Alcides alter tibi foedere Musas
 14 junxeris, et doctos, tu quoque doctus, ames :
 15 te redamat Phoebea cohors, nomenque per orbem
 16 carminibus faciet clarius esse tuum.
 17 Nunc quoque nostra brevi veniens comitata libello
 18 audet in aspectum Musa venire tuum.
 19 Quippe reformidans sublimes principis arces,
 20 virgineo primum plena pudore fuit.
 21 Nulliusque sibi cultus, non conscia formae,
 22 longe ego sum jussae, dixit, inepta viae.
 23 I tamen huic dixi, non aulae sola subibis
 24 atria, te forsā qui comitetur, erit.
 25 An Mylius tibi suaviloquo non cognitus ore est ?
 26 Porriget hic faciles in tua vota manus.
 27 Non illo melior, non est facundior alter,
 28 illius in labris quin Venus ipsa sedet.
 29 Sunt illi faciles, sed enim sine crimine, mores,
 30 est virtutis amor, iudiciumque grave.
 31 Palladias idem placide complectitur artes,
 32 et vos jam veteri fidus amore fovet.
 33 Vix ea : cum pulso jam laetior illa timore
 34 exsilit, et sedes gestit adire tuas.
 35 Te sibi delegit patronum ex pluribus unum
 36 nostra patrociniū dedita Musa tuo.
 37 Quae patriae ducibus te commendante placebit,
 38 sicca licet rivo paupere vena fluat.
 39 Fallor an illa placet ? Quod si vir summe clientes
 40 inter non dubites hanc numerare tuos :
 41 maxima continget mihi gloria, tunc ego voti
 42 victor et ardenti pectore laetus ero.
 43 Tunc mihi quidquid erit linguae, sermonis et oris,
 44 promptum erit officiis expositumque tuis.
 45 Interea laetae currant tibi stamina vitae,
 46 meque diu ut possis sospes amare, vale.

NATALIS GEORGII FABRICII.
ELEGIA IIII.

El_4 v.1 Vitiferos inter colles silvasque virentes
 2 est locus ad ripas spumifer Albi tuas.
 3 Non illi sua dona Ceres, non Flora negavit
 4 veris opes violas purpureasque rosas.
 5 Hic fragrans odor est, hic germina mille colorum,
 6 hic avium voces auraque blanda sonat.
 7 Hic philomela tuis, primi sub lumina Phoebi,
 8 cantibus attendens dum novus hospes eo :
 9 uvidus et viridi redimitus tempora musco
 10 mox caput e placida sustulit Albis aqua,
 11 obstupui, retroque ferens vestigia cessi,
 12 e tacito cupiens spectra videre loco.
 13 Ille manu mulcens promissam in pectora barbam,
 14 agmina Nympharum laetus adesse jubet.
 15 Gramineae mediusque sedens in margine ripae,
 16 edidit hos mira cum gravitate sonos.
 17 Fabricii natalis adest, dare carmina vati
 18 annua Fabricio tempus et hora monent.
 19 Haec est illa dies celebrandi conscia partus,
 20 cernis ut insolito Cynthius igne micet.
 21 Salve sacra dies, laetoque relabere cursu,
 22 candidior vati saepius orta meo.
 23 Non nebulas, pluviosque imbres, non murmura venti,
 24 fas est tam celebrem contemerare diem.
 25 Illa etiam puro tum fulsit amabilis ortu,
 26 cum puer e matris prodiit ille sinu.
 27 Tunc et Phoebe tuo felix Cyllenius astro
 28 affuit et Veneri stella benigna jovis.
 29 Melpomene puero blandis arrisit ocellis.
 30 Laetitia Charites signa dedere novae.
 31 Inprimis pueri, puer ille salutifer orbi,
 32 aligerum curam jussit habere gregem.
 33 Ipse etiam cunas non de dignatus adire,
 34 cresce puer dixit parvule, magnus eris.
 35 Magnus eris, vatesque mei celebrator honoris
 36 saepe canes lyricis carmina sacra modis.
 37 Sacra canes, quae sunt quanto meliora profanis ;
 38 tanto tu reliquis carmine major eris.
 39 Talia servator mundi puer omine laeto
 40 dixit, et eventu quis caruisse neget ?
 41 Qui modo Fabricium norit, florentibus annis
 42 ingenii ut dederit signa probanda sui.
 43 Strenuus ut rigidas juvenis superaverit Alpes,
 44 viderit et Latiae regna vetusta plagae :
 45 Romuleas arces, et avernum, antrumque Sibyllae,
 46 sceptraque Parthenopes, Pausilypique jugum,
 47 ut studiis doctisque viris intentus ibidem,
 48 vicerit aequales laudis honore suos,
 49 redditus ut patriis vates doctissimus oris,
 50 eximiis fuerit carus ubique viris.
 51 Tu verax mihi testis eris, divine Melanchthon,
 52 tu quoque Pierii, dux Joachime, chori.
 53 Non etiam negat hoc nostri lux Sturmius aevi,

54 non negat Augustus Mauriciusque duces.
 55 Doctiloquis placuisse viris non ultima laus est,
 56 est quoque principibus laus placuisse viris.
 57 Sed summo placuisse Deo laus major habenda est,
 58 qua sine nil verae cetera laudis habent.
 59 Hac quoque Fabricium celebrem quis laude negabit ?
 60 Cui vena e caelo, non aliunde, fluit.
 61 Quem tantus pietatis amor, tam candida virtus
 62 ornat, et in niveo pectore pura fides.
 63 Bella canant alii, turpes canat alter amores,
 64 et sacros vates se tamen esse putent :
 65 laude suos tollant Athesisque Padusque poetas ;
 66 hic meus est vates, hoc ego magnus ero.
 67 Hoc ego magnus ero, spurci discedite vates,
 68 sanctior est vates nobiliorque meus.
 69 Carus hic est Christo ; mendax vos Phoebus amavit :
 70 vos Venerem ; verum sed canit ille Deum.
 71 Heroum est aliquid, fateor, bene dicere laudes,
 72 omnia sed Christum qui bene dixit habet.
 73 Hic meus est vates, hic Christo digna locutus,
 74 quae canit, haec factis exprimit ipse piis.
 75 Cedat Arar, Rhodanus, cedat Thybris, Ister et Arnus,
 76 sanctior est vates, nobiliorque meus.
 77 At vos, o juvenes, tali gaudete magistro,
 78 vester hic est, multis quem petiere sibi.
 79 Aeternasque Deo tali pro munere grates
 80 dicite, non cunctis munera tanta dedit.
 81 Non hunc desidia, vel turpi offendite vita,
 82 ut decet, hunc patris semper amate loco.
 83 Degener es, saevisque puer Cyclopibus ortus,
 84 tam temere huic iram qui scelerate moves.
 85 Vir bonus est commune bonum. Quid publica turbas
 86 commoda ? Non patriae te nocuisse pudet ?
 87 Illius hic laudes, et fortia facta priorum,
 88 historia celebrat carminibusque suis.
 89 Parce igitur tali puer improbe parce magistro,
 90 ultricemque scias numinis esse manum.
 91 Sed tu Pieridum decus immortale Georgi,
 92 natalem peragas hac quoque luce tuum.
 93 Threicio non more, ista qui luce solebant
 94 attoniti querulis exululare sonis :
 95 non cadat in nostros talis vesania mores,
 96 quos Deus et vitae spes melioris amat.
 97 Cum tuus inciderit celebris natalis in annum,
 98 quo tecum verbi lux simul orta Dei est :
 99 cinge triumphali vates tua tempora lauro,
 100 filioli vatis laurea sarta gerant.
 101 Tu consanguineos et caros inter amicos
 102 dic hilaris posito verba jocosa mero.
 103 Curarum satis est altas : hoc tempore frontis
 104 esse procul rugas tristitiamque decet.
 105 Salve, sacra dies, laetoque relabere cursu,
 106 candidior vati saepius orta meo.
 107 Finierat. Nymphisque choros ducentibus, ille
 108 protinus incoeptum continuavit iter.
 109 Centu volucres, florum variata colore
 110 gramina, laetitiae signa dedere suae.
 111 Albi pater, tibi quas par est hoc nomine grates,

112 Fabricium celebras hac quia luce, fero.
 113 Nos quoque Fabricio multum debere fatemur,
 114 utilis est studiis saepius ille meis.
 115 Hanc igitur donec lumen vitale videbo,
 116 perpetuo festos inter habebo dies.
 117 Sis sacer et felix, Misnamque innoxius urbem
 118 Albi pater pleno piscifer amne riga,
 119 sic diuturna tuis non desine gramina ripis,
 120 frigora sic puras nulla morentur aquas.

JACOBO FABRICIO CHEMNICENSI.
 ELEGIA V.

E1_5 v.1 Cum nihil humanis insit durable rebus,
 2 nec sinat in certo nos Deus esse loco.
 3 Cur non exilium potius quam dicere vitam
 4 malumus hoc miserae condicionis onus !
 5 Saepe quidem multos fratres multasque sorores
 6 excipit et teneros educat una domus.
 7 Sed simul assumptis adolevit viribus aetas,
 8 non datur his uni semper inesse loco.
 9 Tunc quivis alio patriam sub sole jacentem
 10 invenit officii pro ratione sui.
 11 Hic petit Eoos, gelidas fugit alter ad Arctos,
 12 hic adit australes, occiduasve plagas.
 13 Non hic certa domus, non gaudia vera parantur,
 14 durat ad extremum cura laborque diem.
 15 Sic quoque Fabricios domus edidit unica fratres,
 16 hic ubi Chemnicii moenia clara jacent.
 17 Nunc prior ex illis aetate Georgius Albim
 18 accolit Italicis notior ante plagis.
 19 Trebocum Blasius procul hinc consedit in agris,
 20 Islebiae Andream tecta benigna fovit :
 21 tu nunc Salanas, Jacobe, profectus ad undas,
 22 fraternae linqvis tecta scholamque domus.
 23 Sic conjuncti animis disjungi corpore fratres,
 24 et terrae spatiis temporibusque solent.
 25 Nos etiam totidem fratres domus unica fovit,
 26 non procul a patria, magne Philippe, tua.
 27 Nunc disjuncti omnes peregrinis vivimus oris,
 28 alter ab alterius sede domoque procul.
 29 Balthica majorem natu jam litora servant,
 30 o utinam patriis junctior esset agris.
 31 Me sacer Albis habet, Nicri docet alter ad undas,
 32 in patria quartus tecta paterna colit.
 33 Sic igitur miserae dispersi tempora vitae
 34 concludent uno patre locoque sati ?
 35 An numquam, veluti puerili aetate, licebit
 36 dilectis una fratribus esse domo ?
 37 Patris an alloquio numquam vultuque fruemur ?
 38 An dabitur numquam matris amore frui ?
 39 Quin dabitur. Pater est alius, domus altera nobis ;
 40 est domus haec caelum, sed pater ille Deus.
 41 Ut nos una domus magnum dispersit in orbem ;
 42 sic iterum in caelo colliget una domus.
 43 Illa domus communis erit sanctisque piisque,
 44 et Deus ipse parens omnibus unus erit.

45 Hic patres, fratresque pii, veteresque sodales,
 46 aethera rursum conveniemus ope.
 47 Hac ego spe recreor, dulcem dum tristis amicum
 48 propositas video continuare vias.
 49 Vade bonis avibus Musarum cura, Jacobe,
 50 Chytraeique memor, sis ubicumque, vale.

MEMORIAE GEORGII SMITERLOVII CONSULIS SUNDINII.
 ELEGIA VI.

E1_6 v.1 Impiger Alcides clava victrice leonem
 2 sustulit, Argolicos quod popularet agros.
 3 Ejus et exuviis munito pectore, dixit :
 4 "Haec ego virtutis martia signa gero."
 5 Sic quoque Sundiniam stirps antiqua incolit urbem,
 6 nomina quae caesi nota leonis habet.
 7 Illius in clipeo victor Tirynthius heros,
 8 et domitrix vasti clava leonis inest.
 9 Scilicet haec Musis et Matti dedita, dudum
 10 inclita virtutis signa utriusque dedit.
 11 Inprimis patriae qui frena Georgius urbis
 12 rexit, et hac ipsa qui tumulatur humo,
 13 hoc clipeo dignum se praestitit, ille rebelles
 14 affectus, rectae vi rationis agens,
 15 jam pridem juvenis domuit, qui saepe leonis
 16 instar in effreni pectore regna tenent.
 17 Huic vero, imperio mentis parere coacti,
 18 vix iterum vires exseruere suas.
 19 His ille exuviis corpus munivit honestum,
 20 veste quid hac juveni pulchrius esse potest
 21 quin eadem seros illi duravit in annos,
 22 Sundinia quando consul in urbe fuit.
 23 Nam patriae pestem rixas et crimina tollens,
 24 restituit pacem justitiamque suis.
 25 Plange igitur sciscis urbs Sundia plange capillis,
 26 consulis interitu Sundia plange tui.
 27 Illius ornavit mentem sanctissima mater
 28 virtutum pietas, assiduaeque preces.
 29 Quin sapiens, gnarusque boni servator et aequi,
 30 et verae custos integritatis erat.
 31 Pectus avaritia vacuum, spe muneris expers,
 32 dextra fuit cunctis officiosa bonis.
 33 Vox respondebat veraci consona menti,
 34 par studium fidi cordis et oris erat.
 35 Non illo vicit sub iudice dives egenum,
 36 iudicii sed lex unica norma fuit.
 37 Plange igitur sciscis urbs Sundia, plange capillis.
 38 Consulis interitu Sundia plange tui.
 39 Qui quanto patriam fuerit complexus amore,
 40 illius aerumnae fidaque cura docent.
 41 Pervigiles quarum impulsu consumere noctes
 42 et potuit solido dicere jura die,
 43 interea cives tutos ut carpere somnos,
 44 aut possent rebus invigilare suis.
 45 Plange igitur scissis urbs Sundia plange capillis,
 46 consulis interitu Sundia plange tui.
 47 Quem licet interdum furiarum turba Cleones

48 sint ausi morsu dedecorare suo,
 49 invidiae stimulis acti et livore maligno,
 50 vir tuti assiduus qui comes esse solet :
 51 mox ejus tamen integritas se lumine claro
 52 extulit, et patriae jam quoque nota patet.
 53 Plange igitur scissis urbs Sundia plange capillis,
 54 consulis interitu Sundia plange tui.
 55 Cui, quamvis vivo scelerata calumnia probris
 56 et voluit fictis saepe nocere dolis :
 57 nunc tamen ex oculis sublatum, ante omnia quaerit,
 58 hunc superesse sibi restituere cupit.
 59 Sed frustra. Deus ampla orbi cum munera donat,
 60 quilibet haec grata norit habere manu.
 61 Nam quando ingratis ea sustulit ille ; deinceps
 62 haud sera facile est haec revocare prece.
 63 Plange igitur scissis urbs Sundia plange capillis,
 64 consulis interitu Sundia plange tui.
 65 Illius et tumulum violis insperge quotannis,
 66 istaque de tanto funere verba lege.
 67 En qui bis senos quandoque Georgius annos
 68 civibus auxilio praesidioque fui,
 69 stirpe Smiterlovia genitus, consulque creatus,
 70 sustinui patriae qui pater urbis onus,
 71 urbis honor, scelerum vindex, virtutis amator,
 72 impuris terror, confugiumque bonis.
 73 Hic functus vita, fluxique laboribus aevi
 74 sum situs, in caelis mens sociata Deo est.
 75 Quisquis es, et nostro consul succedis honori,
 76 officium simili fac pietate tuum.

NICOLAO GONIAEO AMICO CARISSIMO.
 ELEGIA VII.

E1_7 v.1 Care mihi veteres inter Goniaee sodales,
 2 ecquid adhuc nostri vivis ut ante memor !
 3 Impletur, bene si memini, jam tertius annus,
 4 quando tibi Varni junctus in urbe fui.
 5 Interea Belgas, Morinos, pictosque Britannos,
 6 et vidi populos Gallia culta tuos.
 7 Interea niveas etiam superavimus Alpes,
 8 et mirum Venetae vidimus urbis opus.
 9 Et quas Medoacus, quas Mincius alluit urbes,
 10 10 qua Padus et Lambrus Bacchylisque fluunt.
 11 11 Hinc quoque nubiferum conscendimus Apenninum,
 12 12 aestibus in mediis qui nive plenus erat.
 13 13 Vidimus et Latiae jam diruta moenia Romae,
 14 14 et Capitolini templa vetusta Jovis.
 15 15 Hinc per Tyrrenum Caietam accessimus aequor,
 16 16 proxima Parthenopen visere cura fuit.
 17 17 Quam circum toto si quid memorabile mundo
 18 18 cernitur, hic uno dixeris esse loco.
 19 19 Mortifer hic fumo Plini tibi docte Vesevus,
 20 20 Pausilypi contra pervia crypta patet.
 21 21 Quam supra titulos vatium spectare duorum
 22 22 bustaque Sinceri Virgiliique juvat.
 23 23 Quid tibi Baiano calidas in litore thermas,
 24 24 inque cavernosis balnea sicca jugis ?

25 Quid tibi Cumanae repetam spelaea Sibyllae,
26 et prope Cimmeriis antra habitata viris ?
27 Quid montes tibi flammivomos, quid limen Averni,
28 quid phlegethonteos sulphureosque lacus ?
29 Omnia quid referam ? Quis si conjungere Bacchum
30 illiusque velim jugera culta loci :
31 murenas Siculi citius numerabo profundi,
32 nataque Campanis aurea mala jugis.
33 Haec pergrata quidem, sed nil mihi gratius usquam,
34 cernere quam doctos hac regione viros.
35 Quos inter palmam senior Victorius, Arni
36 accola, jam Sophiae primus in arce tenet.
37 Corpore non magnus, sed mente Manutius acri
38 maximus, Ausonia visus in urbe mihi est.
39 Hic quoque Muretum facundo audivimus ore,
40 summo dum coram praesule verba facit.
41 Angelium veteres Alpheae ab origine Pisae
42 Felsina Cardanum Sigoniumque fovet.
43 Tu quoque, care mihi Patavina doctor in urbe
44 Robortelle, illis annumerandus eris.
45 Junius in Batavis, in Francis doctus uterque
46 Ramus, et Auratus nobile nomen habens,
47 innumerique alii, studiis et voce diserta
48 quos etiam priscis dixeris esse pares.
49 Hos audire viros non est postrema voluptas,
50 te quoque quos cupidum velle videre puto.
51 Officii sed te ratio remanere coegit,
52 et tibi commissae virgea sceptra scholae.
53 Nunc etiam teneram, si vera est fama, puellam
54 legitimo jungis sponsus amore tibi.
55 Blandula quae niveis stringens tibi colla lacertis,
56 postmodo longinquas non sinet ire vias.
57 Non etiam cupies, felix cui munere divum
58 jungitur in casto virgo pudica toro.
59 Pulchrior haec gemmis, fulvo pretiosior auro est,
60 vincit et instabiles totius orbis opes.
61 Hac tibi parta quies. Toto nos orbe vagamur,
62 et patimur durae mille pericla viae.
63 Dulce quidem bene finitos narrare labores,
64 sed tamen hoc multis non licuisse patet.
65 Quos mare, vel morbus, dira vel fraude peremit
66 hospes in Italicis durior hoste plagis.
67 Me quoque non raro mortis discrimine victum
68 spes visa est subito linqere velle pede.
69 Pene semel perii, cum me sternente caballo,
70 in rapidas cecidi, vix rediturus, aquas.
71 Paene iterum perii nocturnus in Alpibus inter
72 gutture congestas dum tenus erro nives.
73 Et prope spoletum, Clitumni ad flumen amoeni,
74 sum semel indomiti verbere laesus equi.
75 Sed quid ego Goniaee tibi tam tristia sponso,
76 cum deceant thalamos non nisi laeta tuos.
77 Quin animo praesens, hilari tibi gratulor ore,
78 opto etiam sponsae gaudia mille tuae.
79 Illa velut vitis tibi grata umbracula praestet,
80 sitque refrigerium praesidiumque tibi.
81 Haec tibi laetitiae causam, frontisque serенаe,
82 dulce merum fundat, tristitiamque fuget.

83 Tu vestita velut generosis vitibus ulmus
 84 sustineas sponsae dulce virentis onus.
 85 Sit felix hac vite domus, mitesque racemos
 86 proferat, et mensam Palladis arbor amet.
 87 Cedite degeneres spinosi cedite rhamni,
 88 et procul ad Lapithas hinc paliurus eat.
 89 Sed Goniaee rogas, quid ego ? Fugiamne puellas ?
 90 Non equidem fugio, sed nec amare queo.
 91 Non fugiunt illae nec amant. Quem virgo requirit
 92 certus adhuc illi non amor esse potest.
 93 Ergo quid inceptem ? Mihi, quam Deus eligit, illam
 94 eripiet nemo praeripietve scio.
 95 Interea Musas mecum sine fine manentes,
 96 dum licet, a curis liber, amabo. Vale.

IN CHIRONEM JO. CHENTMANNI.
 ELEGIA VIII.

E1_8 v.1 Quam, Chentmanne, tuae Chiron bene convenit arti ;
 2 tam bene naturae convenit ille tuae.
 3 Aspice Phillyriden, altum et diademate vinctum
 4 cui caput, ingenium iudiciumque notat.
 5 Tu caput extollis per cunctas strenuus artes,
 6 et penetras animis abdita quaeque tuis.
 7 Atque salutiferas aegris mortalibus herbas
 8 quaeris, et illarum pharmaca mira notas.
 9 Ista cornatae pariunt tibi frontis honores,
 10 quos dudum titulis nobilitatus habes.
 11 Quid tibi Chironis jam spicula, quidve sagittas,
 12 armatamque manum significare putem ?
 13 Percutit ille feras, saevos tu corpore morbos
 14 excutis, et febres te veniente tremunt.
 15 Te pestis, laterumque dolor, te calculus horret,
 16 et tua mors etiam tela aliquando fugit.
 17 Quid sonipes tibi, Chironis pars altera, signet
 18 vis dicam ? Mores denotat ille tuos.
 19 Nescit adulari sonipes : tu nescius idem
 20 candidius cygnis et nive pectus habes.
 21 Vique adeo generosus equus dorso excutit omnem,
 22 qui moderari ipsum qua decet arte nequit :
 23 sic, Chentmanne, homines ventosi cordis et atros,
 24 barbariemque ipsam nequitiemque fugas.
 25 Sincerus sincera probans. Obtrudere palpum
 26 qui velit, a domibus sit procul ille tuis.
 27 Antrum etiam longo suspendens Pelion arcu
 28 ut dedit Haemonio regia tecta seni ;
 29 incolis ingenio sic tu quoque viscera terrae,
 30 scrutarisque imis nata metalla locis,
 31 illorumque notas proprio cum nomine vires,
 32 quod de fossilibus publica scripta probant.
 33 Quin etiam ut magnas Chiron indagine silvas
 34 cinxit, et aucupii strenuus arte fuit :
 35 retibus ingenii sic tu volucresque ferasque
 36 et capis, et vivo membra colore notans
 37 exprimis in tabulis propriis animalia formis,
 38 piscibus et per te viva figura redit.
 39 Salve, care meis Chentmanne o optime Musis,

40 Chironisque tui saecula vince senex.
 41 Nec meritis minor eximiis, par laudibus illi,
 42 siderei penetres lucida regna poli.
 43 Quo pateat toti posthac tua gloria mundo,
 44 ut Chiron radio non pereunte micat.

ANIMAE C. C. IN STELLAM INUSITATAM METEMPSYCHOSIS.
 ELEGIA IX.

E1_9 v.1 Quid caelo nova stella micat ? Quid denotat orbi ?
 2 Esse cometa quidem dicitur illa mihi.
 3 Ast ego nec formam, nec flammam agnosco cometae,
 4 ni micet insolito conspicienda loco.
 5 Quin similis fulgore aliis est undique stellis,
 6 certat enim radiis, Juppiter alme, tuis.
 7 Credo equidem, nec vana fides, si Julia stella
 8 oppresso per vim Caesare visa fuit :
 9 Casparis haud aliter, meliori jure, videri
 10 sidera, qui magno Caesare major erat.
 11 Major erat pietate, fide, Christique timore,
 12 Christicoloque oculus praesidiumque gregi.
 13 Vi nunc et fraudum et scelerum, non Martis aperti,
 14 canities illi tincta cruore fluit.
 15 Membra jacent celsis misere exturbata fenestris,
 16 fractaque et innumeris ludificata modis.
 17 Ast anima in caelo nulli occidenda triumphans,
 18 en micat e medio luce corusca polo.
 19 Ostenditque adeo stellarum vivere regem,
 20 cui curae exigui sit laniena gregis.
 21 Et poenas scelerum auctori denuntiat atras,
 22 quas luet in Stygiis sanguinolentus aquis.
 23 Illa autem visu paulatim excelsior acri,
 24 angelici repetet regna beata chori.
 25 Caelestesque animas inter non ultima, tantis
 26 gaudia pro plagis non peritura feret.
 27 Salve anima illustris, salve o pulcherrima stella,
 28 Castilionei nuntia stella tui.

BERNARDO A MENCINGEN.
 ELEGIDION X.

E1_10 v.1 Tertia jam, Bernarde puer, tibi carmina mitto,
 2 a te sed nobis littera nulla venit.
 3 Forsitan ignoras qua jam regione moremur,
 4 cum liceat certo vix mihi stare loco.
 5 Nunc ego Fabricio convictor sedulus adsum,
 6 Misena spumiferas qua videt Albis aquas.
 7 Otia grata meis tribuunt hic numina Musis,
 8 et faciem tanti colloquiumque viri.
 9 Mox tamen ad veteres cogor remeare penates,
 10 Varniadum roseos qua rigat amnis agros.
 11 Huc tua ceratis si litera pervolet alis,
 12 nil animo poterit gratius esse meo.
 13 Interea matrisque tuae magnique parentis,
 14 et memor officii, ceu decet, esto tui.
 15 Magna est nobilibus laus esse parentibus ortum,

16 major at e studiis ingenioque venit.
 17 Haec duo si pietas exornet et inclita virtus,
 18 maxima laus dici nobilitasque potest.
 19 De tribus, ingeniose puer, tibi contigit unum,
 20 Dii, duo si jungas altera, quantus eris !

ZACHARIAE STOPIO.

ELEGIA XI.

E1_11 v.1 Quam tibi paeoniae Varnus cum fronde coronam
 2 imposuit, longo tempore sospes habe.
 3 Hanc tua promeruit longo jam tempore virtus,
 4 et labor, et medica nobilis arte manus.
 5 Hanc tua promeruit bonitas, doctrina, fidesque,
 6 jam procul arctois cognita saepe plagis.
 7 Cognita quin nobis etiam. Stopi optime, salve,
 8 et vive innumeros absque dolore dies.
 9 Varniades Musae placide comitentur euntem,
 10 Vistula te celebret, Bregela semper amet.
 11 Duna etiam reducem pulchro pulcherrimus amne
 12 excipiat, tremulis et tibi ludat aquis.
 13 Quin Rigae proceres, et summus in urbe senatus
 14 ex reditu capiant gaudia vera tuo.
 15 Gaudia vera tuo reditu fidissima conjunx
 16 sentiat et soboles et tua tota domus.
 17 Te redeunte suas etiam mors improba falces
 18 contrahat, et morbi te redeunte tremant.
 19 Experti fidas operas, et pharmaca dudum,
 20 quae possunt rigidae flectere tela necis.
 21 Nos maestis interea discessu dulcis amici
 22 fundemus querulas in tua vota preces.
 23 Perpetuoque tui memores te voce sequemur,
 24 tu memor et nostri, sis ubicumque, vale.

DAVIDI CHYTRAEI FRATRI EX AUSTRIA REDUCI.

ELEGIA XII.

E1_12 v.1 Te salvum rediisse scholae, carissime frater,
 2 et mihi multiplici nomine laetor ego.
 3 Laetantur collegae omnes, schola tota triumphat,
 4 te vivo quae se vivere posse putat.
 5 Tu modo vive diu, laetamque exporrige frontem
 6 interdum, et curas tristitiamque fuga.
 7 Gaudia vivificant hominem, sanumque tuentur,
 8 quem gravis anxietas curaque longa necant.
 9 At tu perpetuo aut libris affixus inhaeres,
 10 aut nova te reducem sollicitudo premit.
 11 Quae te etenim vitae genio tribuisse putarim
 12 tempora ? Num paucos enumerabo dies ?
 13 Non equidem potero. Nam te modo sacra docendi
 14 scribendique procul publica cura rapit.
 15 Consilium nunc ille tuum, nunc postulat ille,
 16 hic labor incumbit, nunc labor ille tibi.
 17 Quin etiam totis turba importuna diebus
 18 obsidet, et clausas non sinit esse fores.
 19 Interea dictis alii scriptisque fruuntur,

20 te labor et solum cura molesta premit.
 21 Vix suspirandi tempus, non dico jocandi,
 22 ut superesse tibi, frater amice, queat.
 23 An non hoc studium sibi prorsus inutile dicam,
 24 quod prodest aliis et sibi sponte nocet ?
 25 Cessa igitur paulum, cessa, optatissime frater,
 26 o mihi dilecti patris amande loco.
 27 Et quintae cum signa dabit sol pronior horae
 28 non pigeat nostrae limen adire domus.
 29 Sobria cena tibi paucisque paratur amicis,
 30 sobria sed multi forte futura joci.
 31 Si desint lepores, lepidos Brucaee lepores,
 32 seposita sceptri sed gravitate, feres.
 33 Memmius ipse aderit, doctoque Caselius ore,
 34 et Paulus sacri buccina clara gregis.
 35 Clingius hunc ipsum laeto sermone sequetur,
 36 nec deerit linguae gratia grata tuae.

MARGARIDIS JOHANNIS SCHOSSERI AEMILIANI TUMULUS.
 ELEGIA XIII.

E1_13 v.1 Hic ego Schossero vati carissima conjunx
 2 Margaris, extincto corpore, fessa cubo.
 3 Mens sed in aetherias, ubi patria pristina, sedes
 4 jam rediit, vultu perfruiturque Dei.
 5 Hora etiam veniet celeri laetissima cursu,
 6 huic animae junget cum sua membra Deus.
 7 Hoc scio, nil plane dubitans, hoc gloriator uno,
 8 semper et est animo spes ea fixa meo :
 9 quod meus in supera carissimus arce redemptor
 10 vivat adhuc, vitae fons et origo meae.
 11 Et licet in cineres corpus mors putre resolvat,
 12 vertat et in nihilum quod nihil ante fuit ;
 13 attamen huic suprema dies cum fulserit orbi,
 14 et levis hoc mundi flamma resolvat opus,
 15 Christus id infirmi revocans e pulvere terrae,
 16 haec iterum cinget carnibus ossa suis.
 17 Hac et pelle meos rursum circumdabit artus,
 18 quin et in hac ipsa carne videbo Deum.
 19 Hunc ego, non alii pro me, sine fine videbo,
 20 laetior allatis tot mihi morte bonis.
 21 Ipsa quidem cum juncta tibi tellure morarer,
 22 care vir, et cordis portio fida mei,
 23 non obscura fui : sociam dedit inclita princeps
 24 me tibi, Guelphorum stirpis Elisa decus.
 25 Illius orator sacram me duxit ad aram,
 26 donaque, non multis quae data credo, dedit.
 27 Tu quoque praecipuos inter laus maxima vates,
 28 qui titulos verae nobilitatis habes,
 29 gloria summa mihi praeclaraque fama fuisti,
 30 et fuit huic tanto nubere dulce viro.
 31 Viximus unanimes semper dum viximus, et mens
 32 vita, fides, pietas una duobus erat.
 33 His quoque mortali nil dulcius orbe putatur,
 34 contingunt summo nec nisi dante Deo.
 35 Fluxa sed humanae sunt vanaque gaudia vitae,
 36 unica sunt superae gaudia firma domus.

37 His meliora bonis, majoraque gaudia caelum
 38 exhibet, aethera nunc quibus arce fruor.
 39 Nunc procerum comitante choro, suprema tonantis
 40 atria, caelestes intueorque lares.
 41 Carmina nunc, plaususque sacros, et cantica patrum
 42 sentio mirificis me recreare modis.
 43 Ipsa etiam dum tu clarorum gesta virorum,
 44 et canis in terris maxima facta Dei ;
 45 proximioe gradu caelestem carmine regem
 46 laudo, movens faciles ad pia verba modos.
 47 Care marite, vale, nimios et vince dolores,
 48 huc quoque post, nullo te prohibente, veni.

WENDELIO HIPLERO WIMPINENSI.
 ELEGIA XIII.

E1_14 v.1 Wendeline mei pars pectoris altera, linquis
 2 dum modo Varniadum vix rediturus aquas,
 3 sentio non solitos turbato in corde dolores,
 4 excruciatque animum sollicitudo meum.
 5 Nam natale solum tecum mihi contigit unum,
 6 et tua sunt patriae tecta propinqua meae.
 7 Insuper et probitas tua te mihi jungit, et insons
 8 candor, et innocuae simplicitatis amor.
 9 Te quoque commendat laudata scientia juris,
 10 et virtus fraudis nescia, pura fides.
 11 Non ita Pirithoum Theseus lugebat ademptum,
 12 cum Phlegethontes fortis adiret aquas,
 13 non ita magnanimum Pylades lugebat Orestem,
 14 quos inter miri foedus amoris erat.
 15 Sicut ego nostras te velle relinquere sedes,
 16 forsitan et numquam velle redire, queror.
 17 Sed quia, quo fortuna jubet, migrare necesse est :
 18 est desiderii vana querela mei.
 19 Vana querela mei prorsus sunt carmina luctus,
 20 mutari, superi quod voluere, nequit.
 21 Ergo bonis avibus, pede fausto, et sidere dextro
 22 incipe propositam continuare viam.
 23 Det Deus, ut quondam sub limina nostra reversum
 24 te possim magnis annumerare viris.
 25 Atque olim patrius venturis Neccarus annis,
 26 hic etiam, dicat, noster alumnus erat.
 27 I nunc ad celebrem generosi Principis aulam,
 28 atque memor nostri tempus in omne vale.

MEMORIAE D. JACOBI BORDINGI MEDICI CLARISS.
 ELEGIA XV.

E1_15 v.1 Hei mihi daphnaeas cur tristis Apollo coronas
 2 projicit, et doctae plectra sonora lyrae ?
 3 Hei mihi funerea cur turba novena cupresso
 4 cingitur, et pressos fundit ab ore sonos ?
 5 Scilicet occubuit medica Bordingus in arte
 6 clarus, Apollinei famaue prima chori.
 7 Qui propter varias divino in pectore dotes,
 8 vivere perpetuo tempore dignus erat.

9 Sanctus enim veraeque fuit pietatis amator,
 10 et coluit pura mente manumque Deum.
 11 Ipsius ex gestu gravitas, ex ore reluxit
 12 candor, et ingenuae simplicitatis amor.
 13 Fidus erat fidis, constans et amicus amicis,
 14 nullus in egregio pectore fucus erat.
 15 Juppiter et reliquas ut vincit lumine stellas,
 16 fulgidus in medio cum micat ille polo,
 17 sic medicos nostro Bordingus tempore vicit
 18 ingenii multos dexteritate sui.
 19 Noster Johannes Albertus, amabilis heros,
 20 deplorat medici fata suprema sui.
 21 Varnus et ipse pater vultus in flumine condit,
 22 et lacrimis tumidas tristior auget aquas.
 23 Illius ad ripas virides nam quaerere plantas
 24 sueverat, et doctis verba referre modis.
 25 Illius ipse necem deflet Mosa, Sequana, Rhenus,
 26 spumifer et Rhodanus, populiferque Padus.
 27 Ipse ego ceu Patris Bordingi funera luxi,
 28 ille fuit studiis ancora fida meis.
 29 Sed mea quid nimio consumam corda dolore,
 30 et fundam querula carmen inane lyra ?
 31 Quin potius, Bordinge, poli tibi gratulor arces,
 32 tam bona mutata qui loca sorte colis.
 33 Inter et angelicas repetens nova carmina turmas,
 34 coepisti vita prosperiore frui.

IN CANTIONES SACRAS PRAENESTINI.
 ELEGIA XVI.

E1_16 v.1 Sunt opera humanae varia et praestantia linguae,
 2 sed summum est laudes concelebrare Dei,
 3 et puras cantare preces, quae praestitit illud
 4 officium, implevit sedula lingua suum.
 5 Non ergo immerito prudens laudanda vetustas,
 6 perstudiosa hominum, perstudiosa Dei,
 7 quae pia munifico struxit collegia sumptu,
 8 attribuitque piis praemia certa scholis.
 9 In quibus et Christo recte servire juvenus
 10 disceret, et vivo cantica grata Deo.
 11 Biblia quapropter totum digesta per annum
 12 unanimi juvenes concinere sono.
 13 Et praescripta sibi sollers ad munia, quisque
 14 praestitit officium lege jubente suum.
 15 Sic pudor et probitas, sic disciplina per orbem
 16 floruit, et pietas magno in honore fuit.
 17 Quae nunc in tenues paene evanesceret auras,
 18 ni pauci celebres relligione viri,
 19 non sine mente Dei priscae gravitatis amantes,
 20 consulerent sacris hac quoque parte scholis.
 21 Laxatosque nimis scelerato hoc tempore mores
 22 comprimerent studiis officiisque piis.
 23 Quos inter Praenestino sua praemia debet
 24 relligio in variis paene sepulta locis.
 25 Vere igitur Christo multos ut serviat annos,
 26 quisquis es ardenti corde precare Deum.

FRANCISCO ROBOTELLO, PROFESS. PATAVINO.
ELEGIA XVII.

E1_17 v.1 Lux Sophiae, vatumque decus, doctissime vates
2 Robortelle, italis gloria magna tuis.
3 Cur adeo mea saepe jubes tibi carmina mittam ?
4 Carmina nec tanto digna nec apta viro.
5 Tu jam summa tenens Heliconis culmina, ducis
6 ad Phoebi lepidos plectra sonora choros.
7 Pieridesque inter sacras, sanctosque Poetas
8 laurea te viridi fronde corona tegit.
9 Montis adhuc procul a vobis nos infima radix,
10 sudantes dubia condicione tenet.
11 Unde nec excelsum fas est sperare cacumen,
12 nec praerupta pedem saxa referre sinunt.
13 Spemque metumque inter dubiis sic haereo curis,
14 nec miser, an redeam progrediarve, scio.
15 Ut redeam via longa jubet multique labores,
16 et simul ingenii vena pusilla mei.
17 Ut pergam tua jussa movent mitisque voluntas,
18 tu tendis faciles in mea coepta manus.
19 Utri igitur parere decet ? Tibi, candide vates,
20 namque procul dubio tu meliora mones.
21 Omnibus in studiis labor est, labor omnia vincit,
22 dat nihil omnipotens absque labore Deus.
23 Praeterea in magnis satis et voluisse putatur,
24 parva placet magno victima saepe Jovi.
25 Sed neque Pleiades merito quis spreverit, illis
26 sit licet illustri Phosphorus igne prior.
27 Ut neque dulcisona nos voce offendit acanthis,
28 hanc superet numeris si philomela suis.
29 Sine queam Philomela olim, laudabor acanthis,
30 Pleias ero, quamvis Phosphorus esse neger.
31 At tu quo major divinus acanthis cygnus,
32 quanto Pleiadibus Lucifer igne praeit,
33 Euganeis tanto major doctoribus olim,
34 et sis egregiis vatibus arte prior.

II

ELEGIARUM LIBER SECUNDUS (424 vers)

ILLUSTRIS. CHRISTOPHORO, DUCI MEGAPOL. ELEGIA I.

E2_1A v.1 Rex lacrimas aegro fundens si corde Pheraeus
2 cuncta domi queritur tristia, cuncta foris ;

3 Alcesten quando uxorem tumularet, amatam
 4 ex animo, et thalami spemque decusque sui :
 5 quid tibi mentis erit, princeps carissime Musis,
 6 Christophore Heruleae viva columna domus ?
 7 Doreothea placens uxor cui nuper adempta
 8 pro thalamo tumuli concava saxa subit ?
 9 Nonne etiam similis cruciat tibi pectora luctus ?
 10 Maesta domi ut credas omnia, maesta foris ?
 11 Credo equidem : quin crebra illud suspiria, crebri
 12 singultus, gemitus, lacrimulaeque probant.
 13 Siste tamen lacrimas, finemque impone querelis,
 14 quandoquidem lacrimis non eget illa tuis,
 15 Cui lacrimas jam dudum omnes abstersit Iesus,
 16 cara incredibili cui pietate fuit.
 17 Is quandoque tui reprimet quoque verbera luctus,
 18 qui modo te siccis non sinit ire genis.
 19 Interea gemitus diva pro conjugue fusos,
 20 et lege mandato carmina coepta tuo.
 21 Defunctaeque tuae veras non negligere laudes,
 22 quae tibi, dum vixit, complacuerunt. Vale.

JOANNI GUDSTAVO A ROSA, COMITI, ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS RECTORI. S.

E2_1B v.1 Cum tibi Varniades sua tradant sceptrum Camenae,
 2 sartaque de Rhodiis, fronte gerenda, rosis,
 3 detque tibi gentilitium Rosa florida nomen,
 4 o veteri praestans nobilitate Comes :
 5 quis neget ista tibi de pulchro carmina Varno
 6 deberi auricomas cum riget amne rosas.
 7 Sint igitur tua. Tu placido data suscipe vultu,
 8 Musarumque sacras protege Rector opes.
 9 Dent illae ut seros laetis in floribus annos
 10 laetus agas laetae flosque decusque rosae.

VARNUS. ELEGIA II.

E2_2 v.1 Qua caput extollit, qua mergitur aequore Varnus,
 2 totus Udalrici sub ditione fluit,
 3 cui Megalepolis exstincti post funera fratris
 4 paret, et ut sospes sit maneatque rogat.
 5 Parchima namque illis non est incognita terris,
 6 parva sed urbs agri fertilis uber habens.
 7 Cardiorea prope est, teneris ubi sontibus ortus
 8 Bernini Varnus stagna propinqua subit,
 9 stagna ubi tot sapos educunt retia pisces,
 10 qui sua finitimis dant alimenta locis.
 11 Cribitii arguto mox dividit arva susurro,
 12 roboris et tantum limpidus amnis habet,
 13 ducat ut in gyrum minuentem farra catillum,
 14 quem rota deciduis icta fatigat aquis.
 15 Advena mox Myliae visit viridaria silvae,
 16 quaque potest riguos voce salutata agros,
 17 in quibus a curis variis Musisque sibi
 18 reddere se Mylius, cum sinit aula, solet :
 19 tale quid ad Varnum meditans, ad murmura quale
 20 Fibreni Arpinas inclitus ore senex.

21 Nec Pluti tumulum aut Dryadum quam praeterit aulam,
 22 nec memoro saltus Bucephalea tuos.
 23 Quos idem Varnus pacatis dividit undis,
 24 cygnaeae donec transeat arcis agros.
 25 Pontis et impatiens properet per florida prata,
 26 imbuat et blandae flumen odore rosae.
 27 Quippe Rhodos nitidae qua saxea subjacet Arcto,
 28 in geminas fisso ducitur amne plagas.
 29 Pars laeva a veteri majorem separat urbem,
 30 dextera pisciferis moenia lustrat aquis.
 31 Atque ubi sic primam complexibus alluit urbem,
 32 mox coit, et statio navibus apta patet.
 33 Illius ad ripam latus unum extenditur urbis,
 34 fertur quae a Rhodiis nomen adepta rosis.
 35 Cujus nidificant tot tuti in flumine cycni,
 36 vix alat ut plures ipse Cayster aves.
 37 Hinc opulentus aquis, laxo et spatiosior alveo,
 38 aequora cum fremitu Balthica Varnus init.
 39 Navigiisque vias aperit, quis cuspide magnes
 40 ad Boreae et Zephyri litora monstrat iter.
 41 Salve Varne tuo multum celebrate Roseto,
 42 sique sapis, Cycnos dilige, parce Rosis.

D. JOANNI CYRIACO, L. BARONI POLHAEMIO ET WARTEMBURGIO,
 ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS RECTORI.
 ELEGIA III.

E2_3 v.1 Laudato placuisse viro si maxima laus est,
 2 quanta erit Aonio laus placuisse choros
 3 totque adeo placuisse locis, ubi clara Lycaea
 4 Pieridum passim splendida dona ferunt.
 5 Vix te etenim, generose Baro, vitalibus auris
 6 intulit illa tui tam studiosa parens,
 7 cum castae Aonides puero arrisere tenello,
 8 et sese cunctis exacuere modis,
 9 ut nati ingenium excolerent moresque venustos,
 10 quo patria dignus nobilitate fores.
 11 Non negat hoc ipsum sat testis idoneus Ister,
 12 non hoc egregii Caesaris aula negat,
 13 qui videre tibi castas praesto esse puellas,
 14 certatim et donis te decorare suis.
 15 Hinc pietas innata tibi est, hinc aurea mentem
 16 Sophrosyne exornat, virgineusque pudor.
 17 Hinc nymphas constanter amas, et vana Lyaei
 18 numina contemnens, nunc quoque potor aquae es.
 19 Scilicet ingenii atque animae sunt pabula lymphae,
 20 quis furor exitio Bacchicus esse solet.
 21 A quo, Polhemiae gentis flos inclite, tutus,
 22 perpetua Musas sobrietate colis.
 23 Quae comites etiam tibi clari ad pulpita Nicri,
 24 tectaque Sturmiacae clara fuere scholae.
 25 Atque ibi te, mentemque tuam, linguamque disertam
 26 usque adeo studiis expoliere suis :
 27 ut primo visum te miraretur Elister
 28 Lipsicus, adventus laetus honore tui,
 29 atque ut Leucoreus dignum te crederet Albis
 30 cui daret Aonii sceptrum ferenda gregis ;

31 nunc quoque ceu tanto dignum te censet honore
 32 Varnus Maenaliae vita salusque Rhodi.
 33 Sis salvus, generose Baro : laetare beatis
 34 ominibus, totiens quae duplicata placent.
 35 Det Deus ut quondam majori illustris honore
 36 Danubii ad patrias ingrediaris aquas ;
 37 Musarum tamen et Roseae non immemor illic
 38 Palladis, ex animo quae studiosa tui est.
 39 Interea hic sceptris felicibus utere felix,
 40 juraque tam lacerae salva tuere scholae.
 41 Innocuos defende libens, compesce nocentes,
 42 sit memor officii te duce quisque sui.
 43 Doctores doceant, illos audire minorum
 44 sit cura, et studiis invigilare labor.
 45 Sit pestis procul atque fames te sceptrata tenente,
 46 aut si quid studiis plus nocuisse queat.
 47 Diffugiant hinc ignavi sine pectore ventres,
 48 innumeris fucis unica praestat apis.
 49 Denique quid melius cunctis optavero, quam grex
 50 ut regi similis sit bonitate suo ?

NOBILISS. D. NICOLAO CAASAE INCLITI REGNI DANICI CANCELLARIO MAGNIFICO,
 DOMINO SUO COLENDO.
 ELEGIDION IV.

E2_4 v.1 Cum Galateum auro cumulaveris, inclite Caasa,
 2 quod tamen expresse ne faceres petii :
 3 nunc quoque quod petii, magnisque quod expeto votis,
 4 ut facias, cupide perficiasque rogo.
 5 Nimirum ut regi sacros mea munera fastos
 6 commendare nota de meliore velis :
 7 quis ego scribendis juveniles impiger annos
 8 hactenus impendi, meta laboris ubi est ?
 9 Non regi indecores illos regnoque futuros,
 10 testatur claro Julius ecce sono.
 11 Quem bene si norit nostri rex optimus aevi,
 12 non poterit fastis non bonus esse meis.
 13 Quin nomen quandoque tuum ut celebretur in illis,
 14 prae reliquis cura est una futura mihi.
 15 Si vero spes nulla subest, frustra que laboro,
 16 id quoque si sciero muneris instar erit.
 17 At tibi pro missisque Rosis scriptisque benignis
 18 gratia quae meritis par queat esse tuis
 19 non video. Tu sinceram pro pignore mentis
 20 jam strenam hanc, donec plura sequantur, habe.

MEMORIAE D. ALBERTI CNOPPERI AD D. CASPARUM PASELICUM. V. CL.
 ELEGIA V.

E2_5 v.1 Ergo fama volans tanti praenuntia luctus
 2 spem praeter, quae nunc irrita, vera fuit ?
 3 Ergo iterum cari Caspar deflebis amici
 4 funera, amicorum Caspar amice decus ?
 5 Cnopperusque tuus Themidis legumque patronus,
 6 sic fuso externam sanguine tinxit humum !
 7 Nec propria integritas, nec regis amabile nomen,

8 nec potuit virtus hunc retulisse suis.
 9 Dilia flava dole, quae moenia clara Lovani
 10 dividis, ille tibi fidus alumnus erat.
 11 Cum Rheno patrio Suollensique urbe relicta
 12 Palladii invisit culta Lycaea tui.
 13 Astraeaeque sacer studiis castaeque Minervae
 14 ingenium excoluit, laudis amore, suum.
 15 Discipulisque simul carus, carusque magistris,
 16 Caesarei evasit gloria rara fori.
 17 Hinc genitor, Friderice, tuus, rex illius aevi
 18 optimus et Christi nominis omen habens,
 19 evocat hunc, populisque suis mysteria legum
 20 pandere, qua posset sedulitate, jubet.
 21 Ejus et in dubiis valuit sententia causis,
 22 quae fuit egregiis saepe probata viris.
 23 Missus et illustres non raro orator in aulas
 24 legati eximio clarus honore fuit.
 25 Innocuus, placidus, praestanti corpore celsus,
 26 fidus amicitiae cultor, amatus hero.
 27 Mente sibi constans, veraci candidus ore,
 28 magnifica retinens in gravitate decus.
 29 His ille atque aliis praestans virtutibus, aulae
 30 gratus erat regni, rex Friderice, tui.
 31 Tu post fata patris Cnopperum semper amasti,
 32 expertus totiens illius ipse fidem.
 33 Nunc quoque legatum, non parva negotia credens,
 34 misisti ad Scaldis, Belga per arva, sinus.
 35 Arva illi laetis quondam genialia Misis ;
 36 sed nunc fatali facta inimica colo.
 37 Scilicet hic veteris repetentem tecta Lovani
 38 sauciat a furiis exagitata manus,
 39 sex equitum scelerata manus, qui fulminis ictu
 40 nitrigeni innocuum bis tetigere senem.
 41 Concidit ille quidem ; sed plagis fortior istis,
 42 vividus adhuc urbis tecta propinqua subit.
 43 Septem ubi mox luces bene sana mente superstes,
 44 de rebus statuit, quae placuere, suis.
 45 Salvaeque praesenti diplomata regia nato
 46 committit domino restituenda suo.
 47 Hinc iter ad caelum ingrediens, mortale relinquit,
 48 cum gemitu exspirans totius urbis, onus.
 49 Sicne igitur, Cnoppere, tuis rediturus abisti ?
 50 Sicne jaces viduae cura dolorque domus ?
 51 Sicne jaces, regi gemitus, carisque propinquis,
 52 spes quibus est reditus irrita facta tui ?
 53 Sicne jaces proprio perfusus membra cruore ?
 54 Trajectus gemino vulnere sicne jaces ?
 55 Nec tibi legati pridem inviolabile nomen
 56 profuit, aut regis dextera longa tui !
 57 Nil castae potuere preces et vota piorum,
 58 in reditum totiens vota iterata tuum ?
 59 An cui vis Boreae totiens maris ira pepercit,
 60 parcere barbaricae non potuere manus ?
 61 O immane nefas ! O nulla morte piandum
 62 dedecus ! O aevi noxa pudorque tui !
 63 Sic talem tantumque virum cecidisse ! Priorem
 64 eximiis etiam mente fideque viris.
 65 Certe tempus erit, quod nec procul esse putandum est,

66 sit nisi justitiae nomen inane Dei :
 67 Cum sero scelerata cohors optabile ducet
 68 hac caede indignas abstinuisse manus.
 69 Quin jam perpetuo furiae comitantur euntes,
 70 et terrent dira corda animosque face.
 71 At tu, magne heros, tam tristi clade peremptus
 72 sis licet, aeternum nobile nomen habes.
 73 Non etenim caesus dici, Cnoppere, pudendis
 74 vulneribus, moriens in statione, potes.
 75 Dum regi obsequeris, caelas commissa, nec ictu
 76 oppressus duplici concidis exanimis.
 77 Sed vivus tua disponis, supremaque nato
 78 das jussa in viduam mox referenda domum,
 79 dumque illas animam ad cathedras effundis, ubi olim
 80 proficere et leges discere dulce fuit.
 81 Crede mihi verum dicenti, haud clarius olim
 82 vivere, nec poteras clarius inde mori.
 83 Nunc quoque cum Christo aetheria dum degis in aula,
 84 concedat votis quis potiora tuis ?
 85 Quando alias nos ad lacrimas, ad bella necesque
 86 fata, piis votis vix remoranda, vocant.
 87 Salve ergo decus aeternum, Cnoppere, tuorum,
 88 aeternumque, brevi sed redivive, vale.
 89 At tu, qui fidis totiens orbaris amicis,
 90 pone modum querulis, si potes, oro, sonis.
 91 Cnopperoque cave tam faustae gaudia vitae
 92 invidias, mundi non redimenda bonis.
 93 Jam vere in patria est, jam veros inter amicos,
 94 nos quoque quos inter, praevius, esse cupit.
 95 Voti igitur tantus compos quo fiat amicus,
 96 siderei faxit cura benigna patris.
 97 Nos memores leti simus. Quis dicere novit,
 98 hora futura suae quae sit et unde necis ?

'APOPEMPTIKON' NICOLAO RANZOVIO.

(grec)

ELEGIA VI.

E2_6 v.1 Dum repetis patrios, sic matre volente, penates,
 2 o Nicolae tuis spes bona, care mihi,
 3 cur te non voto fida de mente profecto
 4 prosequar, atque optem prospera cuncta tibi ?
 5 Tu nostrae quandoque domus pars magna fuisti,
 6 nota mihi est probitas ingeniumque tuum.
 7 Notum etiam primae quam sit via lubrica vitae,
 8 quam facile in vitium nos malus error agat,
 9 quam facile exemplo noceant dictisque pudendis,
 10 hi quibus est unus degenerare labor ;
 11 ergo velut portu qui jam consedit amato
 12 navita, solventes inde monere solet,
 13 quid factu sit opus, quae et quanta pericula navi
 14 immineant, quae sint quoque cavenda loco :
 15 sic tibi ego, mihi tam caro, dum dulce Rosetum
 16 deseris, officii suggero jura tui.
 17 Natura probus es, bonus indole, corde modesto
 18 integer, et verae relligionis amans.
 19 Ut maneat talis, labor est. Quae causa laboris
 20 illius haud nescis : res manifesta docet.

21 Ergo tibi pietas, velut est, sit tum quoque cordi,
 22 sit virtutis honos, sit probitatis amor.
 23 Respue ventosum vesano in pectore fastum,
 24 delicias Veneris, sit nisi casta, fuge.
 25 Bacchi etiam, Circes non raro imbuta veneno,
 26 pocula ne gustes cautio summa tibi est.
 27 Huc qui sollicitant pravos contemne sodales,
 28 hi sunt pernicies exitiumque bonis.
 29 Quin potius te junge viris quibus aurea curae est
 30 Sophrosyne, et virtus, Aonidumque decus.
 31 Hi majora tibi, quam Bacchus et improba Cypris,
 32 commoda jam tulerunt, commoda plura ferent.
 33 Aspice ut affinis jam te praecedat eodem
 34 in stadio, Floris nobile nomen habens,
 35 qui tecum multos ut felix floreat annos,
 36 votis sinceri pectoris opto tibi.
 37 Dorothea quin matre tua nil castius usquam est,
 38 nil magis officii nil pietatis amans.
 39 Hos imitare libens potius, quam facta Cyclopum,
 40 quis venter Deus est, nomen inane pudor.
 41 Si facies, non terrenus modo nobilis olim ;
 42 sed decus aeternae nobilitatis eris.

MEMORIAE THOMAE RHEDIGERI.
ELEGIDION VII.

E2_7 v.1 Non equidem mihi visus eras, clarissime Thoma,
 2 nota sed est animi mens generosa tui :
 3 quae tot nota viris, et magnum sparsa per orbem
 4 cum fuerit, solum me latuisse nequit.
 5 Tu redivivus eras Maecenas ille beatus,
 6 dulce decus Muis qui columenque fuit.
 7 Quo duce Maeoniden Mantus aequavit alumnus,
 8 Flaccus et Aeoliae plectra sonora lyrae.
 9 Scilicet ingenuas honor inclitus excitat artes,
 10 proposita et studiis praemia certa sacris.
 11 Quae si sint nulla, anseribus vel dentur, olorum
 12 posthabito, quod fit, nobiliore choro :
 13 in pejus tum cuncta retro sublapsa referri,
 14 quid mirum est ? Virtus laudibus orba jacet.
 15 Ergo nec immerito sublimi est laude vehendus,
 16 Rhediger, Aonidum lux, patriaeque decus,
 17 qui possessor opum magnarum, artisque fruendi,
 18 qua pauci hoc celebres tempore, gnarus erat.
 19 Namque animi sibi divitias his auxerat ipse,
 20 in variis cupidus discere multa locis,
 21 et doctos audire viros, qui tempore nostro
 22 in celsa culmen Palladis arce tenent.
 23 Hos meritis sibi devinxit, celebratus et illis,
 24 nunc quoque post obitum est clarus, ut ante fuit :
 25 majori cum laude equidem, quam si incubus auri,
 26 magnarum cumulos occulisset opum :
 27 invisusque bonis, animam exhalasset avaram,
 28 infamem in latebris Styx tenebrosa tuis.

CONRADO ALBINO.

ELEGIA VIII.

E2_8 v.1 Insolitos spargi nuper mea naris odores,
 2 cyniferas Varni senserat inter aquas.
 3 Hinc Ciceroneae spirabant scilicet aerae,
 4 illinc de melicis dulcia liba favis.
 5 Instar odorisequi patula quos nare catelli
 6 captabam, voti nescius ipse mei.
 7 Sollicitus tamen optabam sentiscere gustu
 8 quid ferret cerebro gaudia tanta meo.
 9 Haec versanti animo, tua dulcis epistola venit,
 10 Conrade, Aonii candida fama chori,
 11 venit, et hinc illinc geminis comitata libellis,
 12 accepta est manibus saepe petita meis.
 13 Sensi equidem subito solitas tum plenius auras,
 14 ast ubi constrictis vincula demo libris,
 15 omnia mirifico circum replentur odore,
 16 ceu legerem mixtis lilia cana rosis.
 17 Scilicet hic veteres imitandi Sturmius artem
 18 pandebat rari grande laboris opus :
 19 illic mellifluus fundebat mella Melissa,
 20 qualia in alveolis Attica fingit apis.
 21 Desisto mirari igitur, dulcesque libellos
 22 jampridem cupida mente animoque lego.
 23 Nec mora, nec satias illo desistere coepto
 24 me facit, usque adeo pabula grata placent :
 25 pabula grata animo, quae qui non expetit, illum
 26 turpe rudes inter nomen habere reor.
 27 Ergo quod ambrosios totus jam spiro liquores,
 28 nectare quod linguam labraque melle rigo ;
 29 hoc, Albine, tibi acceptum referoque feramque
 30 tu mihi tu tanti primula causa boni.

RUINA TURRIS SANPETRINAE ROSTOCHII.

ELEGIA IX.

E2_9 v.1 Illa ego sacra domus, lacero quam fornice cernis
 2 ad Varni bifidas, moenia propter, aquas,
 3 prima fui reliquas inter ; mihi nomina Petrus
 4 prima dedit, primas hic quoque pastor oves
 5 claviger erudiit monitis, caelumque reclusit,
 6 illius hic etiam nunc monumenta vides.
 7 Tum mea condebat caput inter nubila turris,
 8 e medio alliciens vela ratesque mari.
 9 De caelo quae tacta tamen, lacrimabilis urbi
 10 concidit, infausta non reparanda manu.
 11 Ter siquidem denos et plures hactenus annos,
 12 non tamen impatiens, semicremata fui.
 13 Imbribus et nivibus circumflua, pervia ventis,
 14 exustisque comis flebile trunca caput.
 15 Jam tandem exactis, saeclo labente, tot annis,
 16 inciderat populo seria cura mei.
 17 Jamque iterum sublimis apex meus astra petebat,
 18 e mediis Balthes conspiciendus aquis.
 19 Jamque resistebat ventis et nubibus ipsis,
 20 spes nova jam nautis, et decus urbis erat.
 21 Ergo parabatur solito illi more corona,

22 aureolo fulgens concavus aere globus.
 23 Doctrinae huic monumenta sacrae, tabulasque placebat
 24 inferre, et patria pro regione preces.
 25 Praesto etiam fuerat dubii index bractea venti,
 26 pactaque jam lateri cypria vestis erat.
 27 Cum subiti in tenebris miscentes proelia, saevus
 28 hinc Boreas, illinc Africus, inde Notus,
 29 dejecere iterum coeptae fundamina molis,
 30 ante ortum cecidit turris et ipsa suum.
 31 Scilicet has clades caelum paulo ante coruscum
 32 portendit flammae mobilitate levis.
 33 Sic iterum jaceo, quin sum deformior, olim
 34 quam fueram, integri fornice compta tholi.
 35 Quid faciam ? Quo me rupto bis vertice vertam ?
 36 Subveniet cladi quae medicina meae ?
 37 Fallor an una mihi superest patientia, princeps
 38 virtutum, atque homini commoda, cara Deo.
 39 Hac una me consolor, gratesque parenti
 40 sidereo votis officiosa cano,
 41 angelico quod praesidio ductuque ruinam
 42 sustinuit patria deposuitque manu,
 43 vitae hominis quo nullius, domibusque noceret
 44 paucorum, exiguus quas reparare labor.
 45 Qui tamen interea fracti fastigia coni
 46 aspicias, exemplo cautior esto meo.
 47 Cede Deo, submitte animos, non sperne bidental,
 48 contrahe tranquillo pendula vela mari,
 49 funde preces, ne sint puri mysteria verbi
 50 hic coepta ingrato non diuturna gregi.
 51 Neu fera barbaries properantibus ingruat alis,
 52 quod facit, et tenebris eruta templa premat.
 53 Neu lapsu graviore ruant sublimia, secumque,
 54 haud raro ut fieri cernimus, ima trahant.
 55 Imminet exitium cunctis, jam machina mundi
 56 nutat, et extremos indicat ire dies.
 57 Si sapis amotis terrenis omnibus, unum
 58 quaere Deum, superas et meditare domos.

CHRISTIANO SMITERLOVIO, PATRICIO SUNDENSI.
ELEGIA X.

E2_10 v.1 Quae petis, ecce novae donantur carmina nuptae,
 2 clare vir, et patriae gloria certa tuae.
 3 Tu quae mitto boni pacato consule vultu,
 4 atque ea convivis hospitibusque lege.
 5 Quin sponso sponsaeque mea dic voce salutem,
 6 et verbis orna munera nostra tuis.
 7 Aurea dent alii cum fulvis pocula gemmis,
 8 carmina nos pura mente fideque damus.
 9 Quaeris utri sponsum majori munere donent ?
 10 Aurea sunt equidem saecula nostra scio :
 11 sed tamen aetatis ratio si major habenda est,
 12 nominis et fluxas gloria vincit opes :
 13 nos ferimus palmam. Franguntur pocula casu,
 14 cum domino gemmae divitiaeque jacent.
 15 Carmina morte carent, variisque leguntur in oris :
 16 ergo nihil nostro munere majus erit.

17 Commendare igitur nos atque haec nostra novellis
18 conjugibus certa cum ratione potes.
19 Et facies scimus Longo sic patria felix
20 tempore, tranquillos sentiat ire dies.
21 Conscriptique patres, et totus in urbe senatus
22 Sundinia, sponso praeside, laetus agat.
23 Sic tua tota domus, soboles, castissima conjunx,
24 floreat aeterno laeta vigore. Vale.
